

exercitæ. Prius convenire Brutis asserimus, posterius ne utiqvam, ne solum hominis proprium rei alienæ communicare videamur. Sed de his forsan in Conflictu pluribus differendi erit occasio. Hæc de membro I. sufficiant.

MEMBRUM II.

Rationem Brutis denegat.

§. I

Dantur ergò, uti percepimus, in Brutis Sensûs, qui tamen cum altero extremo, Ratione nempe, confundendi non sunt. Quando verò quæritur: Utrum in Bruta cadat Ratio? Vocabulum Rationale à suâ æquivocatione liberandum erit. Modò enim, sed maximè impropriè, id dicitur Rationale, quod colligere potest unum ex alio, quo respectu Ratio Brutis tribuenda omninò erit. Animalia enim, quemadmodum notum, non sunt unius generis, sed pro naturæ suæ conditione quàm maximè variant. Quibusdam inest simplex Sensûs apprehensio, quæ cum objecto præsentem & oritur & cum eodem simul interit; in quem numerum Ostreæ & Conchylia cæteraquæ animalia referri merentur, quæ in mari scopulis adnascuntur. His quidem talis collectio attribui minimè poterit, cum tactus alimentum totum negotium in iis conficere videatur. Quædam autem præter sensum simplicem & memoriam simul possident, cui denique in aliis speciebus & auditûs sensu, & disciplinæ adjiciuntur. Atque hæc animalia, quæ sunt Canes, Elephanti, Psittaci & c. quia informatione prudentiora quasi

C

reddi